



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio IV. De Lege Evangelica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

prohibitionis vel malitiæ non possent ab illis usurpari, quantumvis licet à Judæis ad fidem conversis usurparentur. 2. Tandiu cœremoniæ illæ sacræ fuerunt & divinæ, nullatenus legi Evangelicæ repugnantes, quandiu Judæis ad fidem conversis licuit illis uti.

Dices. Paulus circumcidit Timotheum, qui judæus erat ex genere materno, & circumcidere noluit Titum, qui erat ex omni parte gentilis; non nisi quia Timotheo licuit, Tito verò non licuit usurpare cœremonias legales. Ergo, &c. R. neg. min. Itaque Paulus Timotheum circumcidit, ut hoc facto ostenderet, se non improbare cœremonias legales, nec Judæos ad fidem conversos, ab earum observatione, ut falsus ferebat rumor, prohibere. Titum verò noluit circumcidere, ut Judæis enixè postulanti bus ut Titus circumcideretur, ostenderet cœremoniarum legalium observationem ad salutem minimè necessariam esse.

DISPUTATIO IV.

De Lege Evangelica.

ARTICULUS I.

Utrum Christus novam legem condiderit, & quæ plura sint hujus legis præcepta.

NOta. Lutherus & Calvinus docuerunt, Christum munus obisse redemptoris tantum, non legislatoris, nec legem novam instituisse, sed solum veterem abrogasse, nihilque aliud nunc ad salutem necessarium esse, quam fidem, per quam liberamur ab omni lege. Hos errores damnat Tridentina Synodus sess. 6. can. 19. ubi dicitur: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem... anathema sit.* Et can. 21. ubi dicitur: *Si quis dixerit Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fideant, non etiam ut legislatorem cui obediant, anathema sit.* Secundum hanc doctrinam, contra novatores, sit

RESPONSIO I.

Christus non solum legem veterem abrogavit, sed etiam novam condidit. Est de fide.

Prob. 1. ex Scriptura veteri. Nam Isaia c. 33. Christus promittitur non solum ut salvator, sed etiam ut legislator: sic enim propheta loquitur de Messia: *Dominus iudex noster, Dominus legislator noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Item promittitur lex nova, à Christo statuenda. Nam Isaia c. 2. sic ait: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Quod de lege quam laturus erat Messias, intelligendum esse, manifestum est ex contextu.

Prob. 2. ex nova Scriptura, ex qua Christum potestate legislativa, sibi ut homini à Patre concessa, usum esse, veterem legem abrogasse, & novam instituisse, patet; sed in primis ex Matth. c. 5. infra citando, & 28. ubi sic Apostolos alloquitur Christus: *Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*

Prob. 3. ratione theologica. Christus rex est Ecclesiæ: nam de illo dicitur Isaia c. 33. *Dominus rex noster.* Et Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion.* Et Luc. c. 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Ergo Christus dare debuit, & revera dedit leges Ecclesiæ. Cum enim perfecta societas, sive civilis, sive ecclesiastica, utiliter administrari, & stabiliter conservari non possit sine legibus, & officium regis sit statuere ea, quæ ad regni sui, seu societatis perfectæ cui præest, bonum regimen & conservationem necessaria sunt; vel Christus dicendus est boni regis officium neglexisse, quod est impium; vel Ecclesiæ, quam instituit, leges convenientes dedisse.

Simonnet Theol. Tom. II.

RESPONSIO II.

Nova lex à Christo lata continet præcepta moralia.

Prob. Præcepta moralia sunt ea, quæ pertinent ad fidem, spem, charitatem, & alias virtutes. Atqui nova lex ejusmodi præcepta continet. Nam Matth. c. 5. sic loquitur Christus: *Nolite putare quoniam veni solvere legem.... Non veni solvere legem.... Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno celorum.* Quibus verbis, ut patet ex subsequentiis, Christus loquitur de præceptis purè naturalibus, in decalogo contentis; quæ proinde hic confirmat, sicut lege Moisaica fuerant confirmata.

Idem facit passim aliis locis. Sic Matth. c. 7. dicit: *Omnia ergo quaecumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quibus verbis comprehenduntur omnia officia erga proximum, lege naturali præscripta. Et Luc. c. 10. legisperito recitanti hæc Decalogi verba, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.... & proximum tuum sicut te ipsum;* respondet: *Hoc fac, & vires.* At verba illa totam legem naturalem continent. Unde Christus illa confirmando, totam legem naturalem confirmavit.

Præterea, disertis verbis præcipit fidem Matth. c. ult. cum ait: *Qui non crediderit, condemnabitur;* & charitatem proximi Joan. c. 13. dicendo: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Utram expresse prohibet Luc. c. 6. his verbis: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Et Matth. c. 19. prohibet divortium, & libellum repudiij, ipsumque irritat, cum ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Igitur nova lex continet præcepta moralia, quorum alia sunt juris naturalis, ut præceptum amoris Dei & proximi, alia verò positiva divina, ut præceptum credendi fide explicita mysterium Trinitatis.

RESPONSIO III.

Nova lex à Christo lata, continet etiam præcepta cœremonialia.

Prob. Nam præcepta cœremonialia dicuntur ea, quæ pertinent ad sacramenta, ad sacrificium, & ad cultum Dei externum. Atqui lex nova continet ejusmodi præcepta, ut patet ex illo Joan. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* quibus verbis præcipitur susceptio baptismi. Et illo ejusdem c. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis;* quibus verbis præcipitur sumptio Eucharistiæ. Et illo ejusdem c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt;* quibus verbis instituitur sacramentum poenitentiae, & præcipitur confessio mortalium post baptismum admissorum. Et ex illo Luc. c. 21. *Hoc facite in meam commemorationem;* quibus verbis præcipitur oblatio sacrificij. Et ex illo Joan. c. 21. *Pasce oves meas;* quibus verbis summo Pontifici inter alia præcipitur, ut statuat ea quæ spectant ad cultum Dei. Ergo, &c.

Potè lex nova non habet præcepta judicialia, sicut habuit lex vetus, quia Christus non voluit per se ipsum dare præcepta, nisi ea quæ perpetuò stabilia & immutabilia esse expediebat, qualia sunt præcepta moralia & cœremonialia, quæ dedit. Cum autem præcepta judicialia pro temporum & occasionum varietate saepe mutari expediat, satius judicavit Apostolis, & eorum successoribus, atque in primis Petro & successoribus ejus, de ejusmodi præceptis statuendi arbitrium relinquere, necessariamque ad id jurisdictionem concedere, Matth. c. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo, &c.* quæ verba pertinent ad omnes Apostolos, & eorum successores. Ejusd. c. 16. *Tibi dabo claves regni celorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in celis.* Et Joan. c. 21. *Pasce oves meas.* Quibus locis non solum Petro Apostolorum principi, sed etiam successoribus ejus promittitur & conceditur publica potestas & jurisdictio in universam Ecclesiam.

Obj. 1. illud Rom. c. 3. *Ubi est ergo gloriatio tua?*

R

Exclu-

Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non; sed per legem fidei. Hic Apostolus legem Evangelicam vocat legem fidei, & eam opponit legi Mosaicæ, quam appellat legem factorum. Ergo secundum Apostolum, lex Evangelica obligat tantum ad credendum, juxta illud Matth. c. ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.

R. Ibi Apostolus per legem fidei, ipsam fidem intelligit, & per legem factorum, opera per legem Mosaicam præscripta, seu legales cæremonias; nec aliud docet, quam hominem non per cæremoniarum illarum observationem, sed per fidem Christi justificationis gratiam consequi; supple, si modo non desint alia conditiones ad id requisite. Hanc esse mentem Apostoli patet ex verbis subsequen- tibus: Arbitramur enim, inquit, justificari hominem per fidem, sine operibus legis. In verbis autem Christi Matth. c. ult. subintelligitur, si modo non desint alia conditiones, quæ ad salutem requiruntur, ut patet ex contextu: nam ibidem legitur: Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.

Obj. 2. illud Joan. c. 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Hic lex Evangelica vocatur gratia. At lex Evangelica in tantum vocatur gratia, seu lex gratiæ, in quantum vitam æternam promittit gratis, & sine conditione operum. Ergo, &c. R. Lex Evangelica vocatur gratia, seu lex gratiæ, quia ex propriis confert gratiam sanctificantem, & gratiæ actualis auxilia longè abundantiora, quam darentur in lege veteri ob merita Christi futura.

Obj. 3. illud Rom. c. 8. Lex Spiritus vite in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis. Et illud Jacobi c. 1. Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, &c. In hoc utroque textu agitur de lege Evangelica. Ergo lex Evangelica est lex libertatis, & liberat nos ab omni operum onere. R. ad 1. Per legem spiritus vitæ, Apostolus intelligit gratiam Christi, quæ per Spiritum vivificantem in cordibus nostris diffunditur, & quæ à concupiscentiæ dominatu liberatur sic, quemadmodum ait Augustinus, ut licet eam sentiamus, non tamen ei consentiamus.

R. ad 2. Lex Evangelica vocatur à Jacobo lex libertatis, vel quia liberat nos à iugo legis Mosaicæ, vel quia liberat nos per gratiam quam ex propriis dat, à reatu & dominatu concupiscentiæ; non verò quod liberet nos ab omni præceptorum & operum onere, ut manifestum est ex ipso loco citato, ubi dicitur: Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obli-viosus factus, sed factor operis, hic beatus in sæculo suo erit.

Obj. 4. illud Gal. c. 3. Si Spiritu ducimini, non estis sub lege. Et illud 2. Cor. c. 3. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Sed qui credunt, spiritum ducuntur, & habent spiritum Domini. Ergo liberi sunt ab omni legis præcipientis vel prohibentis onere. R. ad 1. Sentus est: Qui Spiritus Sancti sequuntur instinctum, & ita ex affectu justitiæ legem servant, non sunt sub lege terrene, premente, viadicante, sicut sunt ii, qui legem transgrediuntur, aut non eam servant, nisi ex metu serviliter servili. R. ad 2. Apostolus loquitur de libertate affectus, qua libertate fruuntur, qui legem observant ex amore justitiæ, & qua carent, qui non servant legem, nisi ex timore pænæ, seu vindictæ.

Obj. 5. Lex nova Evangelium dicitur, quia vitam æternam promittit sub conditione solius fidei: cum lex Mosaicæ non promiserit illam, nisi sub conditione observationis mandatorum. R. Lex Evangelica vocatur Evangelium, hoc est, bonum nuncium, quia peccatorum remissio, adoptio filiorum, corporum resurrectio, & beatitudo æterna in ea promittuntur.

ARTICULUS II.

Quandonam lex Evangelica cæperit obligare.

RESPONSIO II.

Lex Evangelica non cæpit obligare per modum legis, nisi post sufficientem promulgationem.

Prob. Quia nulla lex, sive divina, sive humana, completam habet & integram vim obligandi per modum legis, nisi completum habeat & integrum esse legis, ut patet ex terminis. Atqui lex non habet completum & integrum esse legis sine sufficienti promulgatione: nam ut Disp. I. dictum est, promulgatio sufficiens est intrinsecum & essentielle legis complementum, legem perficiens in esse regulæ & mensuræ actuum humanorum, proportionatæ creaturæ intelligenti & libera. Ergo, &c.

Confirm. Quia sufficiens promulgatio est saltem conditio essentialiter requisita in omni lege, sive divina, sive humana, ad hoc ut subditi teneantur ad faciendum vel omittendum id quod præcipit vel prohibet. Ergo, &c. Prob. ant. Nam lex omnis est regula publica: est enim regula actuum communitati propter bonum commune præscripta ab eo qui communitatis curam habet. Atqui regula publica debet publicè proponi, ad hoc ut subditi teneantur illi se conformare: sicut regula privata debet saltem privatim applicari ad hoc ut privatus se conformare teneatur.

COROLLARIUM I.

Lex Evangelica non obligavit per modum legis ante diem Pentecostes.

Prob. Cum enim ante hunc diem non fuerit promulgata, ante hunc diem aut carnis intrinseco & essentiali complemento, sine quo tamen non potuit habere completum & intrinsecum esse legis, & sic non potuit habere completam & integram vim obligandi per modum legis; aut saltem carnis conditione essentialiter requisita ad hoc, ut vim quam habebat obligandi per modum legis, exerceat, & sic non obligavit, nec obligare potuit per modum legis.

Obj. 1. Ante illum diem multa fidei mysteria fuerunt sufficienter à Christo revelata cum obligatione credendi. Item ante illum diem Sacramenta fuerunt à Christo instituta, partim ante mortem, partim post resurrectionem. Item ante illum diem plurima præcepta moralia dedit Christus, ut patet ex Matth. c. 5. 6. & 7. & aliis locis.

R. Hæc omnia Christus fecit vel privatim, vel coram paucis: unde non habuerunt, nec habere poterunt completum & integrum esse legis, & ita nec habuerunt nec habere poterunt completam & integram vim obligandi communitatem; vel saltem defuit illis conditio ad obligandam communitatem essentialiter prærequisita, donec in die Pentecostes solemniter illorum promulgatio fieret in urbe Judæorum regia, præsentibus ex toto orbe Romano Judæis, qui ad festum paschale Hierosolymam confluerant.

Obj. 2. Ante mortem Christi Judæi jam tenebantur credere illum esse Messiam, juxta illud Christi Joan. c. 15. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. R. Ante mortem Christi, quod Christus esset Messias, ad fidem obligabat, non per modum legis positivæ, sed per modum doctrinæ à Deo revelatæ, & ad credendum Judæis per signa & prodigia ab ipso Christo facta, sufficienter proposuit. Hoc ipso enim quod hæc doctrina, ad salutem necessaria, Judæis erat proposita sufficienter ad credendum, ex ipsa rei natura, & consequenter jure naturali tenebantur credere.

Obj. 3. Christus ante mortem sacerdotibus præceptum celebrandi imposuit, ut patet ex Luc. c. 22. ubi Christus ait: Hoc facite in meam commemorationem. Atqui hoc præceptum statim obligavit. Ergo, &c. R. Præceptum hoc tunc temporis non habuit rationem veræ legis, sed solum præcepti personalis, nec tunc communitatem aliquam perfectam obligavit, sed tantum aliquas personas privatas, nempe Apostolos, qui-

quibus tunc privatim quidem, sed sufficienter ad obligandum à superiore intimatum est.

Obj. 4. Illud Joan. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; & illud ejusdem c. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*; obligarunt per modum legis ante mortem Christi. *R. neg.* Nam nequidem tunc obligarunt. Itaque illud, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. à Christo dictum est in ordine ad futuram promulgationem, & pro eo tempore, pro quo futura erat sufficiens promulgatio legis Evangelicæ; unde baptisimus non fuit ad salutem necessarius ante Christi passionem, ut docet S. Thomas p. 3. q. 66. a. 2. ad 3. Idem die de secundo textu: alioquin Eucharistia fuit necessaria, & de præcepto sumenda, antequam esset instituta; tunc enim Eucharistia fuit tantum promissa & prænnuntiata.

COROLLARIUM II.

Lex Evangelica non statim & eodem tempore toto terrarum orbe obligavit per modum legis.

Prob. Non enim obligavit, aut potuit obligare per modum legis toto orbe terrarum, nisi postquam pro toto terrarum orbe facta est sufficiens illius promulgatio. Atqui sufficiens illius promulgatio pro toto terrarum orbe nec facta est, nec fieri potuit simul & eodem tempore, quo Hierosolymis facta est. Ergo lex Evangelica prius per modum legis obligavit Hierosolymis, quam in aliis mundi partibus, in quibus postea successivè obligavit per modum legis, prout ad illas sufficiens ejus promulgatio propagata est.

Obj. Quando Hierosolymis in die Pentecostes facta est solemnis promulgatio legis Evangelicæ, aderant Judæi & proselyti ex omni natione quæ sub cælo est, ut Scriptura testatur. Ergo tunc facta est sufficiens legis Evangelicæ promulgatio pro toto terrarum orbe, & ita tunc lex Evangelica cæpit obligare per modum legis toto orbe terrarum.

R. neg. conseq. Nam 1. illud quod dicitur, Judæos & proselytos adfuisse ex omni natione quæ sub cælo est moraliter sumi debet, & intelligendum est, Judæos & proselytos adfuisse ex multis nationibus, iis scilicet, quæ postea enumerantur.

2. Successione temporis opus fuit ut Judæi & proselyti illi ad nationes suas redirent, atque ea quæ audierant & viderant, suis annuntiarent, & annuntiando evulgarent.

3. Non omnes qui viderunt & audierunt, crediderunt, atque ita non omnes, quod viderunt, & audierunt, ut verum annuntiarent. Qui verò crediderunt quod viderunt & audierunt, & ut verum annuntiarent, non omnes sufficienter credibile fecerunt. Lex autem Evangelica non prius obligavit, aut obligare potuit ad sui acceptionem, quam sufficienter credibilis fieret. Unde Christus Mat. ult. cum Apostolis præcipit, ut toto terrarum orbe Evangelium prædicent, simul dat eis prædicationem suam variis signis & potentis confirmandi potestatem.

Per Judæos igitur proselytos, qui Hierosolymis aderant in die Pentecostes, solemnem Evangelicæ legis promulgatio tunc temporis facta, non fuit per reliquas orbis partes sufficienter propagata, quantum scilicet necesse erat ut lex Evangelica ubique terrarum obligaret per modum legis, sed solunt per illos quasi strata via est Apostolis, brevi postea solemnem illam legis Evangelicæ promulgationem, Hierosolymis factam, per reliquas orbis partes sufficientissimè propagaturis prædicatione sua, signis innumeris confirmanda.

COROLLARIUM III.

Lex Evangelica prius obligavit Judæos, quam gentiles.

Prob. Lex Evangelica prius obligavit eos, quibus prius facta est illius sufficiens promulgatio & intimatio. At qui lex Evangelica, prius promulgata & intimata est Judæis, quam gentilibus. Ergo, &c.

Prob. min. Nam 1. Petrus Apostolus in die Pentecostes *Simonnet Theol. Tom. II.*

recostes primum promulgans legem Evangelicam, solos Judæos alloquitur, Act. cap. 2. *Vos estis, inquit, filii prophetarum, vobis est facta promissio, & filiis vestris.*

2. Intra aliquot annos, nempe usque ad conversionem Cornelii Centurionis, Apostoli solis Judæis & proselytis prædicabant, eosque solos ad baptismum admitterebant. Unde cum Petrus Cornelium baptizasset, & hanc fuisse Dei voluntatem probasset, mirati sunt fideles omnes, Judæi scilicet ad fidem conversi, & glorificaverunt Deum, dicentes: *Ergo & gentibus penitentiam dedit Deus ad vitam*; Act. 11.

3. denique Christus Apostolis suis præceperat, ut prius Judæis prædicarent, quam gentilibus, & huic præcepto paruerunt Apostoli. Patet ex Act. c. 13. ubi Paulus Judæos, qui Antiochiam Pisidiæ incolebant, sic alloquitur: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vite æternæ, ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus*. Ergo, &c.

Obj. Matth. c. ult. Christus dicit: *Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creature*. *R.* Christus his verbis præcepit quidem Apostolis, ut prædicarent etiam gentilibus, & sustulit prohibitionem factam Matth. c. 10. his verbis: *In viam gentium ne abieritis*. At hoc non prohibet, quin potuerit simul eis præcipere, ut prius Judæis quam gentilibus prædicarent; & re ipsa præcepisse, Apostolosque huic præcepto obediisse, habemus ex verbis Pauli laudatis.

COROLLARIUM IV.

Lex Evangelica in universo terrarum orbe cæpit obligare per modum legis, ante mortem Apostolorum.

Prob. Quia ante mortem Apostolorum partim per Apostolos, partim per viros sanctos, ab eis in partem ministerii vocatos, lex Evangelica sufficienter promulgata est ad hoc ut universos homines per modum legis obligaret: ad hanc enim promulgationem satis fuit, ut intimaretur in multis & variis orbis terrarum partibus, unde ad alias orbis partes, quod non penetrarunt Apostoli, hujus intimationis fama humano modo pervenire posset, dareturque tempus sufficiens ad famam hanc ubique evulgandam quantum non fuerit re ipsa evulgata, propter hominum negligentiam, aut malitiam. Ante mortem autem Apostolorum partim per ipsos Apostolos, partim per viros pios ab eis missos, lex Evangelica intimata est in multis & variis orbis terrarum religionibus, unde ad reliquos humano modo hujus intimationis fama pervadere potuit, sufficiensque ad hunc effectum tempus effluxit.

Obj. Multi sunt etiam nunc ethnici, qui de Evangelio nihil omnino audierunt. Ergo multi sunt etiam nunc ethnici, quos lex Evangelica non obligat. *R. neg. conseq.* Nam legis Evangelicæ promulgatio ad eorum regiones humanitus etiam Apostolorum tempore pervadere potuit. Quod si non pervasit, hoc hominum negligentia vel malitia imputandum est, non Christo legis Evangelicæ auctori, qui legislatoris officio plenissimè satisfecit, per Apostolos suos Evangelium suum promulgando in tot & tam variis orbis partibus, ut inde ad reliquas hujus promulgationis fama constans absque miraculo perferri posset.

Ethnici igitur qui nihil unquam de Evangelio audierunt, etiam ab illo Apostolorum tempore, quo completa est sufficiens pro toto terrarum orbe promulgatio legis Evangelicæ, verè obligantur lege Evangelica; quamvis contra illam non peccent imputabiliter propter ignorantiam invincibilem & inculpabilem, qua laborant. Dico, contra illam: nam cum transgrediuntur præcepta moralia juris naturalis, legē Evangelicā confirmata, peccant imputabiliter, quia tunc peccant non solum contra legem Evangelicam, sed etiam contra legem naturalem, qua tenentur, & quam quoad illa præcepta, aut omnino non ignorant, aut non nisi culpabiliter ignorant.

R 2 Me-

Merito igitur condemnabuntur propter mortales legis naturalis transgressiones,

ARTICULUS III.

Utrum lex Evangelica a Mosaica differat quoad modum promulgationis, & quoad vim justificandi.

RESPONSIO I.

Lex Evangelica a Mosaica differt quoad modum promulgationis, in quantum lex Mosaica scripto tradita fuit in tabulis lapideis: Evangelica vero non fuit per se primo scripta, sed viva voce exterius intimata, & interius per abundantem Spiritus Sancti gratiam altè insculpta cordibus hominum.

Prob. 1. ex Scriptura veteri. Nam Hier. c. 3. Deus de lege Evangelica loquens, sic ait: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* 2. *Ex Scriptura nova.* Nam 2. Cor. c. 3. sic fideles Corinthios alloquitur Apostolus: *Epistola estis Christi (hoc est, legem Christi & doctrinam ejus continens,) ministrata à nobis, & scripta non aramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* 3. S. Augustino lib. de Spiritu & litt. c. 17. ubi sic ait: *Ibi in tabulis lapideis dignus Dei operatus est, hic in cordibus humanis, Ibi lex extrinsecus posita est, qua iniusti terrentur; hic intrinsecus data est, qua justificarentur.* Idem docet S. Thomas hic q. 106. a. 2. ad 3. 4. Ratione. Quia lex Evangelica non nisi post aliquot annos ab ejus solempni promulgatione, Hierosolymis facta, scripto tradita fuit a canonicis authoribus, & quidem ex occasione tantum vel docendi fideles, ut pater ex epistolis B. Pauli & aliis canonicis; vel ad obsequendum precibus & devotioni fidelium, vitam Christi & ejus doctrinam scripto mandati cupientium, ex qua intentione Marcus & Matthæus Evangelium suum scripserunt; vel ad fabulosos scriptores refellendos, quem ob finem Evangelium suum & Acta Apostolorum scripsit Lucas; vel denique ad occurrendum hæreticorum erroribus, ut patet ex Joanne, qui, rogantibus Asiæ episcopis, Evangelium suum scripsit contra hæreticos Christi divinitatem impugnantes: cum è contra lex Mosaica scripto tradita sit ex professo, partim digito Dei, hoc est, ministerio Angelorum partim a Mose. Ergo, &c.

Obj. Utraque lex fuit scripta in cordibus hominum per Spiritus sancti gratiam: nam certè gratia Spiritus sancti non defuit Judæis, ut possent intelligere & observare legem Mosaicam, quæ præcipiebat multa supernaturalia; quæ proinde absque gratia exequi non poterant Judæi.

R. Lex Evangelica præ lege Mosaica rectè dicitur scripta fuisse in cordibus hominum per Spiritus sancti gratiam; quia viva voce solempniter promulgata est cum tanta gratiæ abundantia; ut vi hujus abundantiae integra & incorrupta sine scripto usque ad finem mundi conservari potuerit. Lex autem Mosaica data non est cum illa gratiarum abundantia. Unde quamvis non defuerint Judæis auxilia gratiæ, quibuscum legem Mosaicam intelligere & observare possent, juxta illud Deut. c. 30. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, &c.* non potest tamen lex Mosaica dici simpliciter scripta in cordibus hominum.

RESPONSIO II.

Lex Evangelica vim habet justificandi, & in hoc differt a lege Mosaica.

Prob. 1. pars. Nam dicitur Rom. c. 1. *Non erubescere Evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* At si Evangelium virtus est in salutem, est etiam virtus in justificationem: salus enim non est, nisi justificatorum. Ita ratiocinatur S. Thomas hic q. 106. a. 2. in Sed contra. Item 1. Cor. c. 15. Apostolus sic ait: *Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, . . . per quod & salvamini.* Salvantur

autem homines per Evangelium, quatenus per illud justificantur. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Lex enim Mosaica vim justificandi non habuit: dicitur enim Gal. c. 2. v. 12. *Si enim per legem esset justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Et v. 16. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et c. 3. *In lege nemo justificatur apud Deum.* Et Hebr. c. 7. *Reprobatio quidem sit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit.* Infirmitas autem & inutilitas, propter quam lex Mosaica a Deo abrogata est & repudiata, in eo consistebat, juxta Apostolum, quod peccatores justificare non posset; & nomine perfectionis hic intelligit Apostolus veram justitiam, quæ reddit hominem Deo gratum & acceptum.

Igitur ex Apostolo lex Mosaica non habuit vim justificandi, sed solum potestatem habuit conferendi legalem quandam & ceremonialem justitiam, & tollendi legalem immunditiam, hoc est conferendi habilitatem, & tollendi inhabilitatem quandam legalem ad cultum Dei externum, juxta illud Hebr. c. 9. *Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, hoc est, ad emundationem carnalem, quæ figura fuit emundationis spiritus, seu spiritualis, quam conferre potest lex nova, & quæ consistit in emundatione interna animæ, id est, in peccatorum remissione, facta per sanctificantem gratiam, animæ per Spiritum sanctum infusam.* Rectè igitur ait S. Augustinus lib. de spir. & litt. c. 7. loquens de dilectione legis Mosaicæ & Evangelicæ: *Ibi lex extrinsecus posita est, qua iniusti terrentur; hic intrinsecus data est, qua justificarentur.*

Prob. 2. utraque pars responsionis. Illa lex bene dicitur habere vim justificandi, in qua sunt Sacramenta, gratiam sanctificantem ex opere operato conferentia. Atqui in lege Evangelica sunt Sacramenta, qui ritè ea suscipientibus gratiam sanctificantem ex opere operato conferunt. Ergo, &c. Minor est de fide, & suo loco probabitur.

Prob. maj. Nam institutio Sacramentorum est pars legis illius, in qua sunt illa Sacramenta: lex enim non solum est præceptiva, aut prohibitiva, sed etiam aliter constitutiva. Ergo Sacramenta quæ sunt in aliqua lege, pertinent ad illam, ut quædam ejus instrumenta, & consequenter rectè censetur per illa operari, quidquid operantur; proindeque si produciunt gratiam, rectè censetur producere gratiam per illa, velut instrumenta sua, producendi gratiam vim habere, Ergo, &c.

Simile argumentum sumitur ex Sacrificio Missæ in hunc modum. Illa lex rectè dicitur habere vim justificandi, in qua sacrificium est, conferens ex opere operato gratias actuales, quibuscum, qui iniusti sunt, sese ad primam justificationem disponere possunt, & qui jam sunt iusti, possunt augere justitiam suam. Atqui in lege Evangelica est tale sacrificium, nempe Sacrificium Missæ, ut suo loco ostendetur. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam sacrificii institutio est ex parte lex illa, in qua est illud sacrificium. Ergo sacrificium, quod est in aliqua lege, ad illam, ut quoddam illius instrumentum morale pertinet, & consequenter rectè censetur lex sacrificium quod in ea est, velut per instrumentum suum morale operari quidquid sacrificium illud operatur, proindeque conferre gratiam, si sacrificium illud gratiam confert.

Jam verò quod lex Mosaica nullam vim justificandi habuerit, a contrario sic ostenditur. Lex illa nullam vim habuit justificandi, cujus sacramenta & sacrificia nullam vim habuerunt conferendi ex opere operato, sive gratias actuales, quibuscum homo se ipsum disponere potest ad justificationem, si impius est & iniustus, vel majorem justitiam consequi, si jam pius est & iustus; sive gratiam sanctificantem, qua homo formaliter iustus aut iustus efficitur. Atqui sacramenta & sacrificia legis Mosaicæ nullam vim habuerunt, &c. Unde ab Apostolo vocantur infirma & egena elementa. Ergo lex Mosaica nulla habuit vim justificandi.

Neque

Neque dici potest, quod lex Mosaica iustificandi vim habuerit, qua praeceptiva aut prohibitiva fuit: nam sub hac ratione non magis habuit vim iustificandi, quam habeat nunc lex Evangelica. At lex Evangelica non habet vim iustificandi, quia praeceptiva vel prohibitiva, ut recte docet S. Thomas hic q. 106. a. 2. in O. Imò de utraque lege, qua praeceptiva vel prohibitiva praecise, æquè intelligi debet illud Apostoli 2. Cor. c. 3. *Littera occidit*, occasionaliter scilicet, nisi addit interior gratia fidei sanans.

Lex igitur Evangelica ratione sui status, in quo praesentem habet Christum auctorem ipsius & institutorem, propter merita ipsius jam exhibita, & praeium ab eo pro redemptione nostra persolutum, in ordine ad iustificationem & salutem nostram, praeogativam aliqua, qua leges anteriores, nempe lex naturæ & Mosaica caruerunt, accipere debuit, & re vera accepit in sacrificii sui & sacramentorum suorum institutione, tanquam instrumentorum moralium, quibus iustificationem & salutem nostram operatur, per illa Deum determinando ad dandam gratiam propter merita Christi, ad ipsam modo quodam specialissimo ob ipsiusmet Christi dispositionem pertinentia.

Dices. Imò lex Evangelica & Mosaica in hoc differunt, quod in hac nulli in filios Dei adoptarentur, & nulli gratiam interiorem acciperent. & hoc manifestè repugnare Apostolo, dicenti de Iudeis Rom. cap. 3. *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio*; & toto cap. 11. ad Hebr. Itaque aliud est aliquis in lege veteri iustificatus fuisse, & aliud iustificatus fuisse vi legis veteris: hoc falsum est, illud indubitatum. Item aliud est homines in lege veteri accepisse gratiam interiorem, necessariam ad servanda mandata divina; aliud accepisse vi legis veteris. Primum verum est, secundum falsum.

ARTICULUS IV.

Utrum per legem Evangelicam fideles eximantur ab obligatione mandatorum divinarum & humanorum.

RESPONSIO I.

Lex Evangelica non eximit fideles ab obligatione mandatorum divinarum. Est contra Lutherum.

Prob. 1. ex Scriptura. Christus enim ait Matth. c. 7. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum.* Et c. 25. *Ite maledicti in ignem aeternum... esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Quibus verbis & subsequentibus declarat, reprobos in aeternum esse damnandos propter mandatorum divinarum transgressionem. Et c. ult. *Venite, docete omnes gentes, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* At cur Apostolis suis praeceperet Christus, ut gentes omnes docerent mandata divina; si mandatorum divinarum observatio ad salutem necessaria non esset gentibus ad fidem conversis, solaque fides illis sufficeret.

Prob. 2. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 20. ubi dicitur; *Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observationem mandatorum Dei & Ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi verò Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum, anathema sit.* Ratio autem manifesta est, quia impium est dicere, quod Christus venerit, ut per legem Evangelicam vitis omnibus aperiret janua, homines liberando à iugo mandatorum divinarum, & scelerum omnium impunitatem promitteret iis, qui hanc impunitatem propter ejus merita sibi concedendam crederent & considerent.

RESPONSIO II.

Lex Evangelica non liberat fideles ab obligatione
Simonnet Theol. Tom. II.

legum humanarum. Est contra Lutherum.

Prob. 1. De legibus Ecclesiasticis, quod lex Evangelica non liberet ab earum observatione. Nam Luc. c. 10. Christus sic alloquitur Apostolos, & in Apostolorum persona praelatos ecclesiasticos eorum successores: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Et Matth. c. 18. *Amen dico vobis; quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo, &c.* Denique Joan. c. 21. ad Petrum & ejus successores haec verba dirigit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Quibus locis Christus Vicario suo in terris, & aliis Ecclesiae Praelatis concedit potestatem condendi leges, quibus fideles obedire teneantur; ita ut si eas non observent, non solum hominibus, sed etiam ipsismet Christo inobedientes esse, nec tam Ecclesiae principes, si eorum mandata spernant, quam ipsum Christum spernere censeantur. Ergo, &c.

Prob. 2. de legibus civilibus, quod lex Evangelica ab earum observatione non eximat fideles. Nam Apostolus Rom. c. 13. loquens de civili potestate, sic ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo. Quae autem sunt à Deo; ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitas subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Haec autem verba ad fideles dirigit Apostolus, & differtè asserit subditos teneri in conscientia ad servandas leges Principum secularium, easque transgrediendo, in re scilicet gravi, damnationem sibi acquirere, hoc est, incurrere reatum damnationis aeternae, qui reatus non potest esse sine reatu culpae gravis, sicut nec reatus culpae gravis sine gravi obligatione in conscientia, qua, qui legem superioris transgreditur, tenetur eam servare. Idem docet Petrus Apostolus epist. 1. c. 2.

Ratio pro utraque parte est, quia lex Evangelica neque praelatos ecclesiasticos, neque principes seculares privat jurisdictione sua. Imò institutio jurisdictionis ecclesiasticae, & potestatis ferendi leges ecclesiasticas, est pars legis Evangelicae; & quamvis jurisdictionis civilis, & potestatis ferendi leges civiles institutio non pertineat ad legem Evangelicam, per illam tamen commendatur, & laudatur, ut divina saltem in radice, in quantum est saltem mediata à Deo, qui communicatibus prefectis, quibus ipse per se non dedit Principes, jus dedit in unum vel plures conferendi auctoritatem publicam, & potestatem condendi leges civiles, sine quibus nec utiliter administrari, nec stabiliter conservari potest communitas perfecta.

Obj. 1. Christus Luc. cap. 22. ait: *Reges gentium dominantur eorum... vos autem non sic.* Et Matth. cap. 17. *Ergo liberi sunt filii.* Resp. ad 1. Christus ibi tantum monet discipulos suos ne dominatum ambiant; & si cogantur praeesse, ne praesint tanquam domini, sed potius tanquam ministri, & eorum quibus praesunt, servi; nimirum ut subditos suos mansuetudine sua sibi devinciant, eisque humilitatis, modestiae, subjectionis animi, charitatis, aliarumque virtutum christianarum exempla praebeant, sicut prae-buit ipse Christus, qui unus omnium Dominus & Magister est. R. ad 2. Christus his verbis tantum significat se, utpote Filium naturalem Dei, qui Rex regnum est, & Dominus dominantium, liberum esse à solvendo tributo quod tunc exigebatur.

Obj. 2. Apostolus dicit Rom. c. 6. *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Et Gal. cap. 2. *Subintroierunt (falsi fratres) explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.* Et 2. Cor. c. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et 1. ad Timoth. c. 1. *Lex iusto non est posita, sed iniustis,* Et illud 1. Cor. c. 7. *Pretio empti estis, non lite fieri servi hominum.*

R. ad 1. Apostolus loquitur de lege Mosaica, quam dicit abolitam esse per legem Evangelicam, quam vocat gratiam, hoc est, legem gratiae, propter gratiarum abundantiam quam habet, & quam non habuit lex Mosaica. R. ad 2. Apostolus loquitur de servitute legis Mosaicae, in quam Galatas redigere

R 3 vole-

volebant aliqui falsi fratres, prædicantes illis circumcissionem ad salutem necessariam esse, & ita inducentes illos ad circumcidendum se, & circumcidendo se, totum in se Mosaicæ legis onus suscipiendum. *R. ad 3.* Apostolus loquitur de libertate à mentis ebrietate, ignorantia & cœcitate. *R. ad 4.* Sensus Apostoli est, quod lex posita sit ad coercendos, & pœnis terrendos injustos, non verò justos, qui sponte & ex amore justitiæ legem observant. *R. ad 5.* Fideles hortatur Apostolus, ne se ita hominibus mancipent, ut eis serviendo, obsequium Dei negligant.

ARTICULUS V.

Utrum leges divina positivæ cadere possint sub dispensationem divinam, vel humanam.

RESPONSIO I.

Leges divinæ positivæ cadere possunt sub dispensationem divinam.

Prob. Nam Deus potuit neque Mosaicam, neque Evangelicam legem ferre; fuit enim in utraque ferenda liberimus, & potuit esse contentus sola lege naturali. Item legem Mosaicam pro tota gente Judaicam potuit postea restringere ad unam vel alteram tribum: imò potuit totam abrogare, & pro omnibus Judeis, & re vera abrogavit. Item legem Evangelicam, pro universa terrarum orbe latam, posset ad unam vel alteram orbis partem restringere; cum potuerit illam pro una tantum vel altera orbis parte, aut etiam pro paucioribus hominibus statuere. Item posset, si velleret, illam totam abrogare: tam enim liberè vult illam permanere, quam liberè voluit esse. Ergo à fortiori potuit in lege Mosaicæ, & nunc potest in lege Evangelicæ propriè dispensare: cum propriè dispensare, nihil aliud sit, quam legem restringere & abrogare ex parte.

Obj. Si Deus potest propriè dispensare in lege Evangelicæ, potest hominem absolvere ab obligatione amandi Deum, Absurdum conf. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Nam non potest hominem absolvere ab obligatione amandi Deum, orta ex lege divina naturali, & fundata in ipsa rerum natura, & exigentia: lex enim divina naturalis, qua amor Dei præcipitur, omnino necessaria est ex hypothese creaturæ rationalis existentis, & tam necessaria, quam ipsa rerum natura & exigentia.

Nota. Præcepta legis Evangelicæ duplicis generis sunt, ut jam constat ex dictis superius, videlicet præcepta formaliter quidem positiva, sed naturalia materialiter, quibus nempe statuuntur & confirmantur ea quæ sunt juris naturalis; & præcepta non solum formaliter, sed etiam materialiter positiva, quibus nempe statuuntur aliqua, quæ non sunt juris naturalis, hoc est, jure naturali præcepta, vel prohibita. Deus autem dispensando in præceptis primi generis, tolleret quidem obligationem ortam ex lege Evangelicæ, at non tolleret omnem: maneret enim adhuc, & necessariò maneret obligatio orta ex lege naturali. At dispensando in præceptis secundi generis, Deus tolleret omnem obligationem, quia ex illis solis oritur obligatio, aut si etiam aliunde oriretur, certè ex aliqua lege humana, cui derogaret dispensatio à Deo facta.

RESPONSIO II.

Lex positiva divina, putà Evangelicæ, non cadit sub dispensationem humanam.

Prob. Nam nulla humana potestas est, sive ecclesiastica, sive civilis, quæ obligationem lege Evangelicæ impositam relaxare possit. Ergo, &c. *Prob. ant. 1.* Hoc non potest autoritate propria, quia autoritas inferior superiori prævalere non potest. 2. Hoc non potest ex commissione, quia commissio hujusmodi nulli potestati creatæ data est, ut patebit ex objectionum solutione, & nunc sic ostenditur. In lege Evangelicæ præter præcepta moralia, præceptorum

naturalium confirmativa, sunt tantum alia pauca, putè positiva. At 1. nemo dicit, quod facultas aliquibus hominibus data sit dispensandi in præceptis moralibus. 2. Dici non potest, quod aliquibus hominibus data sit facultas dispensandi in præceptis purè positivis: nam præcepta purè positiva legis Evangelicæ pertinent ad fidem, sacramenta & sacrificium, quæ sunt religionis nostræ fundamenta. Unde præcepta illa sunt fundamentalia, proindeque debent esse prorsus invariabilia, & ab hominibus indispensabilia.

Obj. 1. Illud Matth. c. 18, *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Quæ verba generaliter dicta Petro & aliis Apostolis, nihil excipiunt. *R.* Hæc verba sunt quidem generaliter dicta, atamen cum aliqua restrictione necessariò intelligenda sunt: alioquin Apostolorum Successores possent omnia solvere, sacramentorum substantiam mutare vel tollere, mutare vel tollere sacrificium, matrimonium ratum & consummatum dissolvere, &c. quæ omnia sunt falsa & absurda.

Quantam autem latitudinem verba illa habere debeant, ex perpetuo usu Ecclesiæ colligi debet, & ex constanti fidelium sensu, ea quæ à Christo circa obligationem credendi, sacramenta, & sacrificium determinata fuerunt, perpetua & invariabilia esse debere existimantur; quia ipsa Ecclesiæ perpetua esse debet, & eadem substantialiter usque ad finem mundi ubique permanere.

Obj. 2. Pontifex dispensat in votis & juramentis, & tamen obligatio votorum & juramentorum est juris divini positivi. Ergo Pontifex dispensat in jure positivo divino. *R. neg.* Pontificem dispensare propriè in lege positiva divina, dispensando in votis & juramentis: nam propriè dispensare in lege, est eximere aliquem ab obligatione legis, manentibus omnibus circumstantiis in quibus lex obligat. At hoc non facit Pontifex, dispensando in votis & juramentis. Eatenus enim in votis & juramentis dispensat, quatenus vel authenticè declarat votum aut juramentum non obligare in talibus circumstantiis, quia non est gratum Deo, aut, omnibus expensis, non est de meliori: vel quatenus vice Dei cujus est Vicarius, relaxat promissionem Deo factam, & relaxat in eo casu, in quo sine hac relaxatione votum aut juramentum obligaret.

In neutro autem hoc modo dispensandi in votis & juramentis, Pontifex eximit hominem ab obligatione legis, manentibus circumstantiis in quibus lex positiva divina obligat. Non in primo: nam in eo tantum declarat legem positivam divinam ad nihil obligare in talibus circumstantiis, declarando votum aut juramentum in talibus circumstantiis non valere. Non etiam in secundo: nam in eo tantum subtrahit materiam obligationi legis positivæ divinæ, quæ non obligat ad reddendum Deo quod ei promissum est, nisi quandiu vel per se, vel per Vicarium suum, promissioni non renunciavit. Unde Pontifex vice Dei renunciando promissioni, non relaxat obligationem legis positivæ divinæ in ea circumstantia in qua obligat, sed solum hanc circumstantiam tollit, & aliam ponit, in qua nunquam obligavit lex positiva divina.

Obj. 3. Pontifex dissolvit matrimonium ratum, non consummatum, quod tamen jure positivo divino indissolubile est, juxta illud Christi: *Quod Deus conjunxit homo non separet*, Matth. c. 19. Ergo, &c. *R. Neg.* matrimonium ratum, non consummatum, esse planè indissolubile jure positivo divino; & dico verba Christi laudata, intelligenda esse de matrimonio consummato, per quod conjuges fiunt una caro, & quod proinde Christus voluit esse planè indissolubile in lege Evangelicæ. Unde in eo dispensare nulla potest autoritas humana.

Obj. 4. Juris positivi divini est, ut solus Episcopus administrare possit Sacramentum Confirmationis. Atqui tamen aliquando summi Pontifices cum simplici sacerdote dispensarunt, ut Sacramentum illud ministrare posset, ut patet ex Conc. Flor. in decreto

Euge-

Eugenii, §. *Secundum sacramentum*, ubi Eugenius, postquam declaravit ordinarium confirmationis ministrum esse Episcopum, sic prosequitur: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*. Ergo, &c.

R. neg. min. Nempe quod summi Pontifices aliquando propriè dispensant cum simplici sacerdote ut ministrare possit Sacramentum Confirmationis, propriè dispensando cum illo in lege & institutione Christi; sed solum hanc legem & institutionem interpretari sunt authenticè, & authenticè judicant Christum sic voluisse, ut ordinarius minister Confirmationis esset Episcopus, ut extraordinarius possit esse simplex sacerdos ex commissione summi Pontificis, & ex rationabili ac urgente admodum causa. Hanc autem authenticam legis & institutionis Christi interpretationem Eugenius dispensationem nominat, impropriè sumptò nomine dispensationis.

Obj. 5. Possunt contingere casus, in quibus legis alicujus positivæ divinæ observatio majus nocumentum afferret, vel impediret majus bonum. Ergo necessaria est potestas dispensandi in legibus positivis divinis pro aliquibus casibus, ac proinde credendum est à Christo Ecclesiæ concessam esse potestatem, ut ad eam fideles recurrere possent.

R. si qui sunt casus, in quibus lex positiva divina, si observaretur, impediret majus bonum, aut majus nocumentum afferret, in iis casibus legem illam non obligare; quia Deus illam ferendo, nolluit in illa casus illos comprehendere, sed contraria voluit illos excipere. Unde necesse non fuit ut Christus Ecclesiæ daret facultatem dispensandi propriè in lege quam tulit, sed sufficit ut ei facultatem illam interpretandi, & germanum ejus sensum authenticè assignandi dederit, & dedisse non negamus, sed asserimus. Hanc autem facultatem latè & impropriè potestatem dispensandi in lege positiva divina nominari, nihil vetat.

ARTICULUS VI.

Utrum legum positivarum divinarum interpretatio cadat sub potestate humanam.

RESPONSIO.

Legum divinarum positivarum interpretatio cadit sub potestate humanam.

Prob. 1. de lege veteri. Nam 1. David lib. 1. Regum cap. 23. legem divinam de non edendis panibus propositionis, nisi à sacerdotibus, interpretatus est non obligare in casu necessitatis, in quo versabatur. 2. Discipuli Christi Matth. c. 12. legem divinam de non providendis sibi cibis in die Sabbati interpretati sunt non obligare ad non vellendum spicas, quibus famem suam levarent. Utramque autem interpretationem, & utrumque factum approbat Christus ipse, loco Matthæi laudato. Ergo, &c.

Prob. 2. de lege nova. Nam 1. Doctores passim illam interpretantur, nec tamen dicuntur arrogare sibi aliquid, quod non possint. 2. Ecclesiæ illam interpretatur, ut patet ex dictis superius. At quis dixerit Ecclesiæ sibi arrogare potestatem aliquam, quam non habet? Hoc autem discrimen inter Doctorem & Ecclesiæ interpretationem interest, quod hæc authentica, illa verò doctrinalis tantum sit.

Ratio à priori pro utraque parte est, quod Deus in ferendis legibus positivis, ut se hominibus accommodet, loquatur generaliter, ne leges extendantur in infinitum, ac verborum multitudine importuna sint; & ita non exprimat multos casus excipiendos, & quos revera vult excipi. Atqui leges sic late per verba generalia, non expressis multis casibus excipiendis, & quos re ipsa legislator vult excipi, in multis casibus interpretatione indigent. Ergo leges positivæ divinæ saepe indigent interpretatione, proinde

Simonnet Theol. Tom. II.

que Deum illas interpretandi facultatem hominibus dedisse, pro certo statuendum est.

Obj. 1. Si ita est, leges positivæ divinæ indigent epykia. Falsum conf. Ergo, &c. Prob. min. Nam contra legum divinarum perfectionem est, quod indigeant moderatione & correctione. R. Interpretatio legum positivarum divinarum, quæ scilicet fit ex æquitate & benignitate, potest vocari epykia, non quod sit exceptio casus, quem Deus non præviderit, aut restrictio legum divinarum contra sensum quem Deus expressè intenderit: nulli enim in legibus divinis excipi possunt casus, quos non præviderit Deus; nec metuendum est, ne aliquando leges divinæ injustæ sint, si semper retineatur sensus quem Deus in illis ferendis intendit: sed quia est moderatio & correctio legum divinarum præcisè secundum verba generalia, quibus late sunt.

Hæc autem moderatio, seu correctio, necessaria in legibus omnibus quæ feruntur per verba generalia, non officit perfectioni legum divinarum magis, quam quod per verba generalia ferantur. At non est contra legum divinarum perfectionem, quod ferantur per verba generalia. Deus enim in ferendis legibus suis convenienter verbis generalibus utitur, ut humano loquendi modo se accommodet, & alia vitet incommoda, ut nimiam verborum multitudinem, & importunam legum prolixitatem. Cum igitur legum divinarum perfectioni non repugnet, quod Deus illas ferendo non exprimat multos casus excipiendos, quos ipse prævidit, & vult excipi; legum divinarum perfectioni non repugnat, quod sic ferantur, ut indigeant aliqua moderatione & correctione, & pati possint aliquam restrictionem & exceptionem, quam Deus prævidit, & vult fieri.

Obj. 2. Dici non potest, quandonam ad Ecclesiæ interpretationem recurrendum sit, vel non sit. R. neg. Nam non est opus ad Ecclesiæ recurrere, quando una lex sufficienter explicatur, vel restringitur per aliam legem; item quando evidentia facti vel necessitatis ostendit Deum nolle obligare in tali casu, ut patet ex Davidis & Apostolorum exemplo supra allegato. Nam, ut dicit S. Thomas 2.2. q. 120. a. 1. ad 3. in manifestis non est opus interpretatione, sed executione.

DISPUTATIO V.

De Lege humana.

ARTICULUS I.

Utrum Prelati Ecclesiastici leges Ecclesiasticas, & Principes seculares leges civiles condendi potestatem habeant.

RESPONSIO I.

Prelati Ecclesiastici potestatem habent condendi leges ecclesiasticas. Est contra multos hæreticos.

Prob. 1. Prelati Ecclesiæ à Christo acceperunt potestatem regendi subditos. Ergo ab eo acceperunt potestatem condendi leges, quibus eos regere possint, & quibus eorum subditi, ut regantur, tenentur obedire. Conseq. patet. Prob. ant. 1. pro Summo Pontifice. Nam Christus Matth. c. 16. dicit Petro successoribus ejus: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. Et Joannis c. 21. quod loco Matth. laudato, Petro & successoribus ejus promiserat, concedit his verbis: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*.

Prob. ant. 2. pro reliquis Apostolis, & eorum successoribus Episcopis. Nam Christus Matth. c. 18. ad illos hæc verba dirigit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Et quod his verbis promittit Apostolis & successoribus eorum, dat, Joan. c. 20. cum ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Hinc Paulus Episcopus Asiæ, qui, eo jubente, Ephesi convenerant, sic alloquitur: *Attendite vobis, & universæ gregi, in quo vos Spiritus Sanctus*.

R 4

posuit